

P R A E F A T I O

AD VOLV MEN QVINTVM.

Collatis haectenus editis quinque volumi-
nibus plerarumque stirpium medica-
rum censum me iamiam absoluisse intelli-
gitur, et eousque me peruenisse, vt feriem
ordinum naturalium singulorum, quotquot
significare instituti ratio postulauerit, in-
tegram praestare potuerim. Elapsi com-

) (2

plures

plures anni sunt, ex quo primum volumen comparuit, quo temporis interuallo explorare fatis commodum fuit, quam lente prorepat labor tanti ambitus sub iis legibus, quas mihimet ipse praefixi, et quarum veritatis studium, non numerus voluminum euulgandorum, summa est, si iter multiplici negotiorum genere, quae munus iniungit, variisque valetudinis offensis interrumpitur. Quapropter obstacula quaeuis, quae remoueri sese patiuntur, dispellere, iam quidem in animum induxi, quo telam inceptam finiam, antequam senilis infirmitas eam relaxet, vel mors discindat, nunquam amplius vniendam. Alit impetum persuasio non in sterili me campo laborare, dum vires ad
illam

illam scientiam intendo, quae praxeos medicae alter oculus est, nouis suppetiis indigentissima, et blandum iudicium, tam de norma, quam fector, quam de eiusdem documentis a me exaratis, latum a pluribus celeberrimis viris, qui in artis exercitio confenerunt, vel ipsi simili operae successu egregio manus iniecerunt, quorum CULLENII venerabile nomen eminent.

Vtne vero, quum huic volumini indicem, qui ad omnia spectat, subiecerim, aliquis credat, me nihil addendum vel emendandum reperisse, monendum est, Supplemento, mox subsequuturo, reliqua de fir-

pibus commemoranda me destinasse. Etenim
 volumine vno vel altero iam typis de-
 scripto, variis nouis stirpibus suppellex
 pharmacopoliorum aucta fuit; exemplo
 Cinchonae variarum specierum, Swie-
 teniae Mahagoni, Rhododendri chrysan-
 thi, Pruni Padi, Clematidis Vitalbae,
 Geoffroyae Jamaicensis et Surinamensis,
 Astragali exscapi, Lactucae virosae, Violae
 tricoloris, rel. quae igitur suo loco et or-
 dine antea inferi non potuerunt, nunc vero
 possunt. Eadem opportunitas iam patet
 variis partibus vegetabilibus, quarum species
 botanica serius modo innotuit, quorum
 Balsamus Peruvianus et Tolutanus, Lignum
 Santalum rubrum, Nux moschata, referenda.

Super-

Superfunt pro dolor haud paucae aliae
ignotae vel dubiae speciei, vt Myrobalani
variae, Semen Ajauae, Gummi Ammonia-
cum, Myrrha, Kino aliaque sic dicta Gum-
mata, Balsamum Rakafiri, Radices Columbo,
Lopez, Chynlen, Cassumuniar, Ikan, Ligna
Aloes, Calambac, Cortices Pogerebae, An-
gusturae, Refina lutea in nouissima expedi-
tione fortiss. PHILIPP ad nouum Belgium re-
perta, rel., quas omnes peculiari sectione
complecti opus est, ne quis, licet plures non
fatis confirmatae efficaciae reliquis inter-
miscantur, praestantiorum tamen cogni-
tione careat. Demum Caccadat oportet
commemoratio virium aliquot proximis mo-
do annis de plantis iam a me lustratis, vel
ainoqat.) 4 primum

primum vel curatius, perspectarum. Huius naturae sunt experimenta varia cum Moxa in Europa instituta, Arnicae vires in subigenda humorum putredine, in febribus intermittentibus, paralyfi, et radice eiusdem potior usus, Valerianae celticae cum officinali comparatio, Assae foetidae in carie offium potentia, usus clysmatum ex aceto et aqua, Rubiae tinctoriae virtus in obstructione menstrui fluxus, Dulcamarae praesentia in vario morborum genere ulterius stabilita, Belladonnae in mania et epilepsia efficacia, Tabaci in hydrope, Nucis vomicae in epilepsia, Digitalis in hydrope, Dentariae in scabie, Violae tricoloris in crusta lactea, Opii in lue venerea, laus confirmata saponis

saponis acidi in variis morbis, rel. Haecce omnia dum exsequutus fuero in conubio determinationis exactae stirpium expositarum vel earundem partium, effugere me posse crediderim opprobrium botanicis creberrime motum, nomenclatura et locomotiuitate absolui, quicquid illis scientiae et meriti insit.

Hocce spicilegio publici iuris facto ad recudenda duo priora volumina, quae per plures annos iam distracta fuerunt, dein reliqua, regrediar. In ceteris, quae supersunt, medicaminibus, ad censuram reuocandis, id moram abbreviabit, quod prout horum parciore longe numerus est, ita rarissima

rissima disceptatio de specie, cui debentur,
obtingat, quam tamen inter vegetabilia enu-
cleare auctori saepe miram difficultatem
parit.
